



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCCCXVI. ad annum MCCCCXXIII.

Parisiis, 1644

Sessio XXXII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15653

quodque nullus in locum alicuius decedentis , aut aliter canonicatus & præbendas suas ipsius ecclesiæ quomodo libet , præterquam per spontaneum cessum dimittentium ipsius ecclesiæ canonici apostolica vel ordinaria auctoritate admittantur , quoisque ad dictum numerum sit deuentum : ac decreuit dicta sancta Synodus irritum & inane , si secus super his factum fuerit , aut fieret in futurum .

SESSIO XXXII.

ANNO & indictione quibus supra , die vero Iouis prima mensis Aprilis , Constantiæ in ecclesia maiori in loco sessionis solito prælati existentibus in pluuialibus & cum mitris , fuit generalis huius sanctæ Synodi Constantiensis sessio celebrata : pro cuius introitu reuerendissimus pater dominus Ioannes patriarcha Antiochenus Missam de beata Virgine celebrauit . Reuerendissimus vero pater dominus episcopus Ostiensis , sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalis & vicecancellarius , indutus pontificalibus , huicmodi sessioni præsedit . Ac demum litanis & orationibus confuetis cum debita solennitate completis , instantibus promotoribus Concilii , fuit accusata cōtumacia Petri de Luna per dominum Ardecinum aduocatum . Et iuxta petitionem ipsius dictus dominus Ioannes episcopus Ostiensis huiusmodi sessioni præsidens , nomine Concilii deputauit reuerendissimos patres dominos Odonem de Columna , & Lucidum de Comitibus , diaconos cardinales tunc in ordine cardinalium postremos , reuerendosque patres Feltrensem & Mersburgensem episcopos , quibus dedit in mandatis , ut ipsi vna cum protonotariis & notariis atque scribis huius causæ , cum curfore sedis apostolicæ , dictum Petrum de Luna ad valvas ecclesiæ iuxta mores antiquos vocarent , & ipsi Synodo vocationem referrent . Qui quidem domini deputati , vna cum Iacobo Rhodini & Thoma Polensi protonotariis apostolicæ sedis & huiusmodi causæ notariis , ac Francisco de Mediolano apostolicæ sedis curfore , locum sessionis exeuntes , accesserunt ad valvas eiusdem ecclesiæ . Et præfatus Franciscus curfor ipsum Petrum de Luna alta voce vocauit sub his verbis : Estne hic dominus Petrus de Luna , Benedictus decimustertius in sua obedientia nuncupatus , vel aliquis

ANNO CHRISTI 1416. pro eo qui compareat, responsurus coram sacro Concilio in causa schismatis & heresis contra ipsum mota? Cumque nec ipse, nec aliquis pro eo comparuisset, aut responsum dedisset, dicta vocatione trina vice facta, ipsius Synodi promotores, & vna cum eis Benedictus de Guildelotis de Perusio, cameræ apostolicae clericus, nomine huius sanctæ Synodi super huiusmodi vocatione & non comparatione, & non responsione, petierunt instrumentum & instrumenta.

Quibus sic peractis, cardinalis de Columna unus ex deputatis praemissis, commissionem eis factam a dicto Concilio adimpleuisse, dictumque Petrum de Luna modo praemisso per cursum trina vice vocasse, nec ipsum Petrum, vel aliquem pro eo ibidem comparuisse, aut responsum dedisse, dictæ sanctæ Synodo retulit: & deinde Franciscus de Mediolano cursor præfatus de praemissa vocatione fecit relationem. His sic peractis, dominus Ardecinus aduocatus prædictus vocationem & relationem huiusmodi petiit inter acta huiusmodi causæ registrari. Et deinceps reproducta bulla citationis, alias contra ipsum Petrum de Luna decreta & executa, dominus Bernardus de Planchea, unus de executoribus dictæ citationis per Concilium deputatis, de his quæ circa sapientia dictæ citationis executionem fecisset, fecit relationem, dicens in effectu, quod ab ipso Concilio receperant ipse & collegæ sui in mandatis, ut Petrum de Luna Benedictum decimumtertium in sua obedientia nuncupatum citarent iuxta formam & tenorem literarum citatoriarum. Quas quidem literas citatorias iam de novo factas, & in scriptis reproduxit, adiungens, quod nuper vigore illarum literarum ipse & egregius vir Lambertus de Stipite suus collega ad castrum Paniscola Dertusensis dicecessis accesserunt, & eundem dominum Benedictum decimumtertium, a sibi obedientibus sic nominatum, personaliter apprehensum, praesentibus pluribus suis cardinalibus & aliis praelatis, clericis, ac hominum multitudine copiosa, secundum formam & tenorem literarum citatoriarum ad personam suam citarunt, easdem de verbo ad verbum in sua praesentia legerunt, ipsaque & contenta in eisdem executioni demandarunt, prout in quodam executionis

Zzz ij

instrumento publico etiam die relationis alias per eum & suos collegas factæ exhibito , dixit plenius contineri, quod instrumentum iterum factō reproduxit , & de post publice idem executionis instrumentum fuit lectum , & sufficienter per testes recognitum. Quæ omnia præmissa dominus Ardecinus aduocatus petiit inter acta registrari, & præfati Petri de Luna sic (vt præmittitur) citati contumaciam accusauit. Ipsumque , quoniam nec in primo termino , qui erat octaua die Martii , nec etiam in præsenti termino comparuit , contumacem reputari , & in causa huiusmodi ad vteriora procedi per ipsam Synodum , instantissime postulauit. Iстis successiue (vt præmittitur) factis , reuerendissimus pater dominus Ioannes episcopus Ostiensis huiusmodi sessionis præsidens fecit legi quod-dam decretum per reuerendum patrem dominum Stephanum episcopum Dolensem tenoris sequentis.

Hæc sacrosancta Synodus , auditis & consideratis relatis, propositis, productis & petitis , præfatum Benedictum sic in sua obedientia nuncupatum , legitime citatum, vocatum & expectatum , non comparentem , & qui in octaua Martii , ad quam etiam citatus extiterat , non comparuit , pronuntiat , reputat & declarat contumacem , decernitque in eius contumaciam , eius absentia Dei repleta præsentia non obstante , fore in causa huiusmodi vterius etiam vsque ad definitiua sententiam inclusiue procedendum. Volens autem in eadem causa mature & cum summa grauitate procedere , committit dilectissimis ecclesiæ filiis Guillermo tituli sancti Marci presbytero , & Francisco tituli sanctorum Cosmæ & Damiani, sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalibus , atque Ioanni electo patriarchæ Constantinopolitano , nec non venerabilibus fratribus Roberto Saresbirensi , Ioanni Lichfeldensi , & Stephano Dolensi , episcopis, ac dilectis ecclesiæ filiis Guillermo Pulcri nepotis Franciæ , Ioanni de * Podemitis genera- * Pede-
li ordinis Prædicatorum , in obedientia Petri de Luna , Be-
nedicti decimiertii nuncupati in sua obedientia , magi-
stris in sacra pagina , Michaeli de Nauers vtriusque iuris
Aragonum , & Ioanni de Ledena legum , Nauarræ regum
illustrium oratoribus , Iacobo electo Parmensi , Hermano de Duuerck , sedis apostolicæ protonotario , Roberto

abbati Cluniacensi, Nicolao Vuoidis vtriusque iuris, Petro Nardi, Henrico Fleckel, decretorum, sedis apostolicæ capellanis & auditoribus causarum palatii apostolici, & Ioanni * Rellis decretorum doctoribus, quatenus ipsi vel eorum maior pars examinent articulos, quos offerri contigerit, coram dicta Synodo, vel coram dictis commissariis; & eis examinatis, super illis qui ipsis vel eorum maiori parti admittendi videbuntur, de quorum articulorum receptione & eorumdem admissione præfata Synodus dictis commissariis, vel eorum maiori parti plenam confert & committit potestatem. Ipsi autem duo ex eis ad minus super articulis prædictis, & aliis offerendis, & eorum veritate & notorietate testes & alia probationum genera recipient, iurarique faciant, & examinent diligenter, ita quod occupantium conditio melior non existat, neque per aliquorum inchoationem aliorum derogetur potestati: sed duobus aut pluribus negotium huiusmodi examinationis & receptionis testium inchoantibus, ceteri & quilibet duo, siue bini ex illis, etiam seorsum & separatim, ac eodem vel diuersis temporibus testes & alia probationum genera etiam super articulis & aliis inchoatis recipere, examinare, ac mandatum huiusmodi valeant exequi, testiumque attestaciones & probationes alias, vel eorum effectum eidem sacrae Synodo fideliter referant, ut exinde eadem sancta Synodus super præmissis procedat, decernat & iudicet; prout secundum Deum, iustitiam & aquitatem, fuerit faciendum.

Mandat insuper & committit eadem sancta Synodus præfatis commissariis, & duobus (ut præmittitur) ex illis, quatenus ad dies, horas & loca opportuna eumdem Benedictum, sic (ut præmittitur) nominatum, citent & citari faciant peremptorie publice coram ipsis in locis prædictis, ad videndum etiam recipi, produci, iurare testes & alia probationum genera in causâ huiusmodi, quatenus opus erit, cum potestate citandi & cogendi testes præfatos quoscumque, si qui forsan a dicta depositione se subtraxerint.

Protestatur etiam eadem sancta Synodus, quod per quoscumque actus, ordinem seu terminos iudiciarios seruatos vel seruandos in hac causa, formæ processus, quæ de

iure seruanda est , aut seruari sufficit in notoriis , renuntiare non intendit , neque ad seruandum iudiciarium ordinem se obseruare adstringit quovis modo . Qua schedula lecta , reuerendissimus pater dominus Ostiensis praesidens nomine huius sanctae Synodi super dicta schedula & contentis in ea respondit per verbum , Placet .

SESSIO XXXIII.

ANNO & indictione quibus supra , die vero Mercurii duodecima mensis Maii fuit celebrata sessio generalis in maiori ecclesia Constantiensi . In qua reuerendissimus pater dominus Nicolaus archiepiscopus Gnezenensis Missam celebrauit . Fuitque praesidens huic sessioni reuerendissimus pater dominus Ioannes episcopus Ostiensis , vicecancellarius , sanctae Romanæ ecclesiæ cardinalis . Et intererat huiusmodi sessioni serenissimus princeps dominus Sigismundus Romanorum & Hungariae rex , induitus vestimentis imperialibus , coronam in capite habens , adstantibus sibi reuerendissimis in Christo patribus & dominis , domino Angelo Prænestino , & Iordano Albanensi , episcopis , sanctae Romanæ ecclesiæ cardinalibus ; illustrissimis principibus Rodulpho Saxonie in ense , Ludouico Bauariæ ducibus in pomo , & Friderico marchione Brandenburgensi in sceptro , & habitibus consuetis sibi seruientibus . Demum lectis litanis vna cum aliis deuotis orationibus , vt moris est , ascenderunt ambonem deputati & commissarii in causa haeresis , &c. contra Petrum de Luna , in qua reuerendissimus pater dominus Guillelmus tituli sancti Marci sanctae Romanæ ecclesiæ presbyter cardinalis fecit relationem , dicens in effectu , quod ipsi commissarii processissent in causa , ad ea quæ eis fuissent commissa , quia primo ipsum Petrum de Luna , Benedictum decimumtertium in sua obedientia nominatum , ad dandum & dari videndum articulos vocassent , & deinde certos articulos per procuratores causæ oblatos recepissent , eosque ad probandum admisissent , testesque octo & triginta , cardinales , archiepiscopos , episcopos , prælatos , doctores , & alios super eisdem recepissent , iurareque fecissent , ac eos diligenter examinassent . Insuper dicto Petro de Luna sic sufficienter vocato , nonnulla